UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarivs In Jus Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas Gregorii IX. P. M.

Zoesius, Hendrik

Coloniae Agrippinae, 1691

Titulus XI. De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62329

Visual Library

Eccleſiæ in feudum dicetur quoque inferius, *tit. de feudis*, ut & de alienatione rerum Eccleſiæ inf. *Tit.* 13. Sufficit autem tacitus Capituli conſenſus, uti & ſubſecuta ratihabitio, quæ eſt loco mandati, *c.* 2. & 3. *h. t.*

2 Conſilium ſufficit in rebus, quæ non tendunt in magnum Eccleſiæ præjudicium, uti inſtituere, deſtituere, confirmare, adquirere, corrigere, *c.* 4 *&* 5. *h. t.* Omiſſum facit actum nullum, niſi aliud habeat conſuetudo, *c.* 3. *De conſuet. in* 6. Sufficit autem conſilium audiviſſe, ſequi non eſt neceſſe, *c.* 7. *ſup. de arbitris*. Non tamen ideo fruſtra auditur, cùm poſſit Prælatus, auditus aliorum rationibus, mentem mutare, & Capituli rationibus conſilioque ſe conformare.

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

SUMMARIUM.

1. *Major pars quæ dicatur, & quæ ſanior.*
2. *Ad conſenſum legitimum requiſita.*
3. *Conſenſus majoris partis quid operetur.*

VT habeatur Capituli conſenſus, non eſt regulariter neceſſe omnes conſenſerint, cum ſufficiat majoris & ſanioris partis con-
1 ſenſus, *c.* 1. *h. t.* * Major pars eſt, quæ numero perſonarum excedit, habito reſpectu ad Capitulum, *c. Eccleſia* 48. *ſup. de elect.* quando ſcilicet duæ partes conſentiunt, tertia autem diſſentit, uti ex novem ſex aut ſeptem, *l. Nulli D. Quod cujuſque univerſ.* Qui mos olim fuit in electionibus uſitatu , *d. c.* 48. & etiamnum obtinet in electione ꝯ Pontificis, *c. Licet ſup. de elect.* Interdum reſpectu minoris partis, ut quando ex novem conſentiunt quinque, aut etiam quatuor in unum, reliquis in diverſos euntibus. Sanior eſt, quæ dignitate & zelo prævalet.

2 Ut autem conſenſus ritè habeatur, oportet omnes qui de Collegio ſunt, eſſe vocatos, ac saniorem ſimul & majorem partem conſenſiſſe, *d. c.* 1. *in fine*, Duo enim Canon requirit, ut alterum ; non ſufficiat, Hinc conſenſus partis minoris nihil operabitur; contradictio tamen minoris partis, imò & unius ex cauſa rationabili, concluſionem majoris & ſanioris partis impediet, *d. c.* 1. Pro qua licet ſit præſumptio juris, non tamen & de jure, ut probationem in contrarium non excludat. Si contradictio non audiatur, appellandum erit, ſi ejus, qui contradicit, intereſt. Eſt autem cujuſque de univerſitate, ſi viderit eam rem in detrimentum vergere Eccleſiæ, contradicere, ne tacendo videatur approbare, & de alieno peccato participare, *c. Qui tacet* 43. *I. in* 6. *l. de ætate §. qui tacuit* D. *de interrog. in jure facien.*

3 Conſenſus major partis ea vis eſt, ut minorem obliget etiam invitam, *c. fin. h. t.* cum quod major Curiæ pars effecit, habeatur pro eo, ac ſi omnes egiſſent, *l. Quod major D. ad municip.* Quod verum eſt, quando factum à pluribus habetur ut factum ab omnibus: nam ſi ut à ſingulis, oportet ſinguli conſentiant, cùm quod ſingulos tangit, ab omnibus ſit approbandum, *arg. l. fundum D. de ſervitut. præd. ruſtic.*

TITULUS XII.

Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

SUMMARIUM.

1. *Salaria Miniſtrorum Eccleſiæ non dividenda.*
2. *Fructus beneficii collator ex cauſa aliquando ad tempus reſervare poteſt.*
3. *Beneficium quando & qualiter extingui poſſit, & deminui numerus prebendarum.*
4. *Collationi an & quæ conditio adiici poſſit?*
5. *Collator penſionem alteri non rectè reſervat.*

SAlaria conſtituta Eccleſiæ Miniſtris integrè ſunt perſolvenda, nec ulla ſectione dividenda, *c. Vacante* 26. *ſup. de præben.* ne attenuato ſalario contingat divinum officium deſeri. Unde Epiſcopus aut collator plures, quàm Eccleſiæ facultates ferunt, non admittit, *c.* 4. *ſup. tit.* 7. *de inſtitut.* nec proventus ſibi retinet, collato beneficio, *c. unico hoc tit.*

Non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN